



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 7. De confeßione non iteranda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

postam. Varietas opinionum. 1. opinio. Cordub. 2. opinio.

Medin. Adrian. 8. opin.

Anton. Palud. Syluest. Nauarr.

7. Vera opinio Et questio nis resolutio

minimo confessionem, quia prior nihil operari potest, cum neque in se, neq; in memoria maneat: unde nullum verbum confuse dictum, potest tunc aequivalere distincte confessioni, quia nihil inuatur ex precedente. Et id tenet Corduba in Sum. quest. 6. & tribuitur Bonaventuræ. Alij absolute dicunt necessarium non esse confessionem repetere distincte, quia memoria sacerdotis non est necessaria ad absoluendum: nam, si ego distuli absolutionem, possum post aliquot dies absoluere, etiam si peccatorum non recorder. Ita sentit Med. Cod. de Confess. q. de Circumstant. mutant. speciem. & clarius q. de confessione facta prauo sacerdoti, & Adrian. q. 4. de clauibus. Alij distinctione vtuntur: nam vel huiusmodi sacerdos satisfactionem imposuit, & tunc, aut iunt, non esse necessarium repetitionem distinctam propter rationem factam: si vero non imposuit satisfactionem, aiunt, esse repetendam confessionem, quia licet ad absolutionem non sit necessaria distincta notitia & memoria, ad imponendam condignam poenitentiam & medicinam necessaria est. Sumitur ex Antonin. 3. p. tit. 14. cap. 19. §. 4. Palud. in 4. dist. 17. quest. 5. n. 22. Syluest. Confessio. 1. quest. 3. Nauar. c. 9. n. 19.

Mihi vero, iuxta paulo ante dicta aliter distinguendum occurrit: aut enim confessio fuit inualida ratione sui, scilicet, quia ex parte sua habuit essentialis defectum vel doloris, vel integritatis, vel iurisdictionis ex parte confessoris; & tunc censo confessionem esse omnino, & distincte repetendam, si memoria excedit. Ratio est, quia prior non fuit materia confessionis, nec vera accusatio sacramentalis: & ideo siue sacerdos poenitentiam imposuerit, siue non, necessaria est iterata accusatio omnium peccatorum: cum autem non possit fieri vno confuso verbo propter rationem factam, distincte fieri necesse est. At vero si prior confessio ex parte sua habuit omnia requisita, solumq; defuit forma rite prolata ad perficiendum sacramentum, tunc non est per se necessaria iteratio confessionis, sed sufficit petere in illo foro absolutionem, quæ defuit. Ex parte vero confessoris, vt rite & recte suo munere vtatur, accommodari potest distinctio tertie opinionis: nã, si iam imposuit poenitentiam, non indiget memoria peccatorum: imo nec poenitentia impostæ, etiam si Nauarrus id dicat; sed satis est vt recorder hunc poenitentem fuisse rite confessum, & bene dispositum, & quod postea nihil graue commiserit, in quo eius testimonio standum est. Si autem poenitentiam non imposuit, & neq; in particulari, neq; secundum consuetudinem aliquam, & moralem rationem recordatur grauitatis peccatorum, seu sicut conscientia poenitentis oportet iteratam notitiam postulare, vt recte fungatur munere suo, propter rationem tactam in tertia sententia. Si tamen de facto absolueret sine tali repetitione, licet male faceret, sacramentum esset validum, quia habet omnia essentialia: sicut sacerdos, audita confessione grauissimorum peccatorum, nulla, vel leuissima poenitentia imposta absolueret, licet male faceret, sacramentum conficeret, quia ille defectus ad æquitatem, non ad essentiam pertinet.

SECTIO VII.

Virum, in aliquo casu necesse sit validam confessionem iterare.

Propositum aliquot exceptiones circa posteriorem regulam Circa posteriorem regulam in superiori sectione positam, declarandum est, an aliquam exceptionem patiat. Varij enim casus excipi solent, quos examinare oportet, quia nullus in rigore verus est. Prima ergo exceptio adhiberi solet, si poenitens excommunicatus erat, & prius a peccatis, quam a cen-

sura absolutus fuit. Sumitur ex Paludano distinct. 17. questione quinta articulo tertio, & tenet Syluester. Confessio. 1. quest. 3. Sed est impertinens, quia vel poenitens bona fide absolutus est a sacerdote iurisdictionem habente circa peccata, & tunc iuxta anteriorem doctrinam valida est absolutio, & nulla est ratio obligationis iterum confitendi aliquod ex illis peccatis, sed tantum procurandi absolutionem a censura, quia sola censura suscipientis non irritat sacramentum, per se loquendo, sed solum prohibet usum eius: quod secus est de excommunicatione absolutis, quia priuat illum iurisdictione, vt infra tractando de excommunicatione latius dicecur. At vero si talis poenitens mala fide ita absolutus sit, sciens se grauitate peccare, sic recipiendo absolutionem, tunc sacramentum est nullum ex defectu doloris, & integritatis. Et idem esset, si talis esset censura, vt auferret iurisdictionem ab absoluto, quia videlicet seruata est absque villo priuilegio, vel consuetudine: & in his casibus repetenda erit confessio: tamen hec non est exceptio, quia illa confessio tunc inualida est.

Secunda exceptio est, si confessio fuerit informis quoad effectum, licet in substantia fuerit valida, quia non remittit peccatum; & ita cessat ratio de medio necessario sufficienter applicato. Ita tenet Adrian. q. 5. de Confessione, dub. 4. qui addit aliam rationem, quia illa confessio peccaminosa est, & per actum peccaminosum non impletur preceptum. Hæc verosententia improbabilis est, & contra omnes alios Doctores. Nam in opinione eorum, qui non admittunt sacramentum validum, & informe, non habet locum, vt per se patet. Alij vero, qui admittunt hoc sacramentum informe, propter hoc maxime id faciunt, vt excusent homines ab iterandis confessionibus, quia obligatio solum est ad recipiendum verum sacramentum poenitentia: circa talia peccata. Vnde ratio est, quia si confessio fuit valida, absolutio fuit vera; ergo poenitens vere manet absolutus ab illis peccatis in ordine ad clausas; ergo non tenetur iterum ea subicere clauibus: & ita iam illi applicatum est sufficienter medium illud necessarium ad remissionem peccatorum, quod Christus Ioann. vigesimo instruit in illis verbis, Quorum remiseritis peccata. Propter quod in superioribus dicebamus, talem absolutionem habere suum effectum recedente fictione, quia est vera & ita quantum est ex se dat effectum, quod si inuenit obstaculum, manet in acceptatione diuina, vt ablato impedimento effectum conferat. Et ita responsum est ad primam rationem dubitandi. Ad rationem vero Adriani responderetur, & falsum assumere, quia potest preceptum impleri per actum bonum quoad substantiam, licet ab homine male fiat: & præterea male applicare, quia iuxta anteriorem sententiam, quam supra tractaui, nunquam confessio est valida, si in ipsa committatur actuale peccatum, præsertim mortale.

Tertia exceptio adduci solet, quando in confessione omisum est aliquod peccatum, vel confessor non satis illud percepit. Sed hæc exceptio non magis necessaria est, quam præcedens: aut enim peccatum illud omisum est mala fide, & ex certa scientia; & tunc iteranda quidem est confessio, quia non est valida, & ita non est exceptio. Aut omisum est illud peccatum ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili: & tunc sunt opiniones inter auctores, an talis confessio valida sit, vt supra tactum est, & infra etiam dicecur; tamen iuxta illas loquendum est consequenter: nam qui admittunt illam confessionem esse validam, negant manere obligationem iterum confitendi alia peccata, quæ dicta fuerunt. Et ita est sine dubio dicendum propter dicta in proximo superiori puncto. Ego vero censo illam confessionem esse inualidam, ac proinde, per se loquendo, iteranda

exceptio. Palud. Syluest. Reprobatur.

Censura suscipientia non irritat sacramentum sed prohibet usum eius.

Secunda exceptio. Adrian.

Reprobatur.

Respondetur ad rationem Adriani.

Tertia exceptio. Reprobatur.

Dubium iterum auctores.

iterandam, nisi aliqua ignorantia inuincibilis excuset. Aut denique peccatum illud omisium est bona fide ex iusta causa, vel naturali obliuione: & tunc illud quidem peccatum confitendum erit: aliorum vero repetitio non est necessaria, per se loquendo, vt recte D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. q. 2. ad 3. & omnes. Et ratio est clara ex dictis. Neque est verum, grauitatem talis peccati obliti non posse satis explicari sine consorcio aliorum, vt propterea alia sint repetenda: nam in peccatis numero distinctis, moraliter loquendo, id non contingit, in circumstantiis vero quae mutant speciem, posset aliquando id accideri, & ex illo accidente poterit esse necessarium repetere illud peccatum cum quo habet connexionem, non vero alia, quia illud non est propter integritatem, sed propter manifestationem peccati obliti, quae aliter fieri non poterit. Sicut etiam, cum necessarium est ad manifestationem praesentis status, vel periculi, aliquid commemorare de consuetudine praeterita, faciendum id est non per se propter integritatem, sed propter manifestationem praesentis delicti cum circumstantiis necessariis, vel ad explicandam conscientiae dispositionem, quod etiam fieri oportet: & ideo tunc non plus dicere de praeteritis necesse est, quam ad praedictum finem sit necessarium.

Atque eodem modo sentiendum est de alia parte huius exceptionis, scilicet, si sacerdos non satis percepit: cum enim confessio haec sit necessaria propter notitiam confessoris, taliter fieri debet, vt ab ipso audiatur, & intelligatur: quare, si poenitens ex industria, vel sciens & videns aliquid ita diceret, vt ab alio non perciperetur, confessio esset nulla, quia perinde est ac si non diceretur, & ideo iteranda. Si autem bona fide ita confessus est, nihil tenetur iterare eorum, quae confessor audiuit, quia confessio valida fuit, & quantum ad illa peccata tenuit absolutio. Si autem postea ipsi confiteretur confesorem aliquid non audiuisset, illud repetendo satisfaciatur, vt recte D. Anton. 3. p. tit. 17. cap. 15. & ca. 21. s. 3. Et ad id tenebitur, quia materia sacramenti non est confessio dicta solum a poenitente, sed audita & percepta a confessore, nam hoc totum est de necessitate iudicij, & absolutionis. An vero idem dicendum sit quando confessor bene audiuit, & percepit totum factum, non tamen in se grauitatem eius, supra dictum est.

Quarta exceptio est quando poenitens oblitis est poenitentiae impositae antequam illam impleat: nam ex sententia multorum tenetur iterum confiteri poenitens, vt iterum poenitentiam accipiat. Indicat Paludanus dist. 17. quest. 5. art. 3. Richard. art. 2. quest. 8. ad 4. Anton. 3. p. tit. 14. cap. 19. Syluest. verb. Confessio. i. quest. 3. Fundamentum est, quia tenetur satisfactionem implere, & non potest propter obliuionem: ergo tenetur iterum confiteri, vt alia satisfactio ei imponatur, quam impleat. Oppositam vero sententiam censeo praeterea certam, & sine villo serupulo, non solum quando contingit obliuio ante commissum peccatum mortale in omissione vel dilatione executionis poenitentiae, sed etiam si in eo mortaliter peccauerit. Ita tenet Gab. d. 17. q. 1. Caiet. in Sum. verb. Confessio iteranda. Medi. Cod. de Confessione. q. de hac re. Soto d. 20. q. 2. ar. 2. ad 3. Maior. d. 17. q. 6. dub. vlt. Nauar. in Si. c. 9. nu. 18. & Pet. Soto. lect. 2. de satisfactioe, & Victoria n. 167. Ratio est, quia prior confessio & absolutio valida fuit, & per se ac simpliciter esse debet quantum ad remissionem culpae, sine dependentia a futura satisfactioe: ergo quantum satisfactioe postea non impleatur, non est vnde oriatur obligatio iterum confitendi illa peccata. Probatur consequentia, quia illa necessitas non est propter remissionem culpae, quia iam ad hoc fuit mediū necessarium sufficienter applicatum: nec propter remissionem poenae temporalis, quia potest a

Fr. Suarez tom. 4.

aliis modis tolli, vel in hac vita, vel in purgatorio: nec propter transgressionem prioris praecipii a confessore impositi, quia iam propter obliuionem poenitens factus est impotens ad implendum illud: nec tenetur aliud instituire, vel suscipere loco illius, quia humana praecipia ad hoc non obligant: imo nec votum, quidquid Palud. censeat: nam qui factus est impotens ad implendum votum, non tenetur in aliud commutare, sed omnino excusatur, & qui ieiunare non potest die praecipio non tenetur dare elemosynam vel quid simile: sic ergo in presenti. In illo ergo casu, si quis peccauit omittendo satisfactionem, solum tenebitur peccatum illud cum aliis postea commissis confiteri.

Quinta exceptio est, quando poenitens generaliter confitetur, etiam si omnino voluntarie id faciat, quia licet simpliciter non tenetur iterum confiteri peccata prius rite confessas, supposito tamen quod generaliter vult confiteri, & ita dicit confessor, tenebitur confiteri omnia peccata, quae commisit illo tempore, de quo confitetur, etiam si rite illa confessus iam fuisset. Ita tenet Victoria in Sum. n. 166. quae sequitur Ledesma 2. p. 4. q. 8. art. 2. dub. 15. Quorum fundamentum est, quia alias poenitens decipit confessorem in re graui. Ex quo fundamento inferitur, si poenitens non decipiat confessorem, vt si a peccatore dicat se nolle omnia exacte dicere, sed aliqua ad maiorem quietem conscientiae, tunc nihil peccare. Et in hoc nullum est dubium, quia nulla est ibi ratio peccati, vel alterius obligationis.

Rursus etiam si absolute dicat se velle confessionem generalem facere, & aliquid graue iam rite confessum taceat, non censeo esse peccatum mortale, quod colligitur etiam ex auctoribus supra citatis. Et specialiter indicat Medin. de Confess. q. 14. quae est de confessione casuum referuatorum, notab. penult. & Nauar. in Summ. ca. 21. n. 38. Ratio est, quia vel illa non est propria deceptio, vel licet sit, non est grauis, quia mendacium illud non est contra ipsum sacramentum, cum nihil omittat, quod simpliciter sit de necessitate sacramenti, neque efficit, vt illud sacramentale iudicium iniuste fiat, & sine debita aequitate: quia confessor tantum debet iudicare de his, quae poenitens confitetur, & si in illis seruet aequitatem, seruat in omnibus, quae simpliciter necessaria sunt. Neque aliunde mendacium illud est perniciosum: quia neque ipsi confessori, neque alteri graue nocumētum infert, & ad summum esse potest quaedam simulata hypocrisis, dum confessor existimat poenitentem in longiori tempore pauciora peccasse, quam reuera peccauerit, quae non est materia grauis, quia non est perniciosa, nec inferens iniuriam sacramento admodum grauem. Vnde Caiet. verb. Confessio. & alij fatentur, si quis dicat confessori se velle confiteri omnia venialia peccata, quae post vltimam confessionem commisit, licet aliquod taceat, non peccare mortaliter. At vero peccatum mortale semel rite confessum in ordine ad iterandam confessionem, perinde fere se habet ac peccatum veniale, quia similiter non est materia necessaria confessionis: igitur, per se loquendo, nullum in hoc est peccatum mortale, sed solum veniale.

Vltima exceptio est, nisi intercedat praecipium humanum, aut votum obligans poenitentem ad huiusmodi confessionem. De quo multa disputant Theologi, scilicet, an possit Ecclesia hoc praecipium imponere. Aliqui enim absolute affirmant, vt Henric. quodlib. 10. q. 1. & Maior. d. 17. q. 6. & Syluest. dict. q. 9. Imo non defuerunt qui dicerent, ex vi ca. Omnis viri, siue sexus, obligari de facto fideles ad hoc, si infra annum aliqua peccata confessi sunt non propriis sacerdotibus, sed aliis ex privilegio. Sed illa sententia nimis falsa est, vt infra suo loco videbimus. Alij ergo absolute negant esse potestatem in Ecclesia ad imponendum tale praecipium, D. Thom. quodlib. 1. arti.

D. 2.

i. arti.

Resoluitur.

D. Thom. Anton.

Anton.

Quarta exceptio. Palud. Richard. Anton. Syluest. Reprobatur.

Gabr. Caiet. Medina. Soto. Maior. Nauar. Pet. Sot. Victoria.

Quinta exceptio. caprio.

Vlt. Ledes.

Duo inferuntur. Primum.

7. 2. quo secunda exceptio corrumpit.

Medin. Nauar.

Caiet.

8. Vltima exceptio. An possit Ecclesia praecipere vt peccata semel confessi iterum confitentur. Sententia affirmatiua. Henric. Maior. Syluest.

*Sententia  
negativa.*

1. articulo. 12. Durandus distinct. 17. quæst. 15. Alm. q. 1. A Paludan. q. 5. Dion. Cister. dist. 23. Nauarr. qui refert alios, dicto capite nono in principio. Fundamenta omitto, quia similia asseram scilicet. sequente in simili dubio.

*Vera solutio  
quæstionis  
eum distin-  
guit.*

Ego breuiter sentio duobus modis posse intelligi hanc obligationem. Primo præcisè ob integritatem & perfectionem sacramenti: secundo ob aliquem usum eius, propter rationem aliquam religiosam & honestam. Priori modo sine dubio videtur dicendum, non posse eam obligationem imponi, vel quia materia, non pertinens ad essentiam sacramenti ex Christi institutione, non potest per alterius hominis voluntatem fieri de substantia, vel perfectione sacramenti: vel quia illa causa iam terminata est, & ideo non potest ad perfectionem iudicii iterum per se pertinere: vel denique quia alias posset semper & peccatorum omnium iterata confessio exigere, est millies fieret, quia non est maior ratio de secunda, quam de tertia, vel qualibet alia repetitione: illud autem absurdum est.

*10  
Dubitatio  
suscipit.*

De posteriori autem modo potest esse nonnulla maior dubitatio, & ideo iterum distinguendum est. Quia duobus modis potest intelligi hæc obligatio: primo ex absoluta voluntate alterius præipientis: secundo ex suppositione aliqua, quæ includat voluntarium consensum, & quasi pactum inicum cum ipsò penitente. De hoc modo posteriori non dubito, quin possit hæc obligatio suscipi à peccatore, prius per votum: potest enim aliquis voto se obligare v. g. ad generalem confessionem faciendam, vel totius vite, vel vnus anni, etiam si sæpius rite confessus sit, quia talis usus sacramenti est bonus, & potest esse in concilio: actus autem status, voluntarie assumpti quasi sub hac conditione, potest esse eadem obligatio, vt si in aliqua religione sit statutum generaliter confitendi semel in anno de rebus illius anni, vt referunt auctores citati esse in religione Cisterciensi, etiam sub obligatione ad mortale. In quo non video repugnantiam, quantum non iudicem esse consulendum, quia est plus periculosum, quam vtile: vnde satis est, si proponatur vt regula conferens ad perfectionem. Præterea hoc modo est vsitatum in Ecclesia, vt in casibus referuatis detur facultas penitenti, vt propter necessitatem aliquam possit confiteri sacerdoti inferiori sub conditione comparandi postea coram superiore, ad quem per se talis casus pertinebat, de quo dicemus infra agentes de casibus referuatis. At vero priori modo dicendum est, secluso consensu & voluntate penitentis, non posse hanc obligationem absolute præcepto imponi. Ratio potissima est, quia hæc est propria materia consilij, & ideo per se non eadit sub præcepto humanam. Item quia est res valde difficilis, & nullus potest esse finis, vel nulla necessitas propter quam expediat talis præceptum imponere: quod magis constabit ex his, quæ dicam scilicet. sequente, vbi auctores referam.

### SECTIO VIII.

*Vtrum pertingat ad integritatem confessionis venialia peccata confiteri.*

*1  
Veritas Ca-  
tholica est  
non esse ne-  
cessarium  
venialia  
confiteri  
Conc. Tri-  
dent.*

Veritas certa & Catholica est non esse necessarium confiteri venialia peccata, vt integra sit confessio. Ita definit Concilium Tridentinum sess. 14. c. 5. & can. 7. Constatque ex supra dictis de materia remota, vbi ostendimus, hæc peccata esse materiam sufficientem, non tamen necessariam. Ratio à priori est Christi institutio, de qua nobis per traditionem, & Ecclesie declarationem constat. Congruentia vero est, quia hæc peccata sunt leuiora, & non causant naufragium animæ: penitentia vero solum est

simpliciter necessaria post naufragium. Item quia aliud esset difficilimum, cum peccata venialia facile multiplicentur. Item quia propter hanc causam ante hoc sacramentum non erat necessaria formalis penitentia ad remissionem horum peccatorum: hoc autem sacramentum, cum sit sacramentum penitentiae, solum propter illa peccata necessarium esse debuit, propter quæ necessaria erat penitentia. Rursus ex Diuo Thoma supra quæstion. 85. articulo primo ad octauum, quia ad remissionem venialium per se non est necessaria infusio gratiæ: & ideo non oportet institui aliquid sacramentum, quod est gratiæ instrumentum, vt necessarium ad illorum remissionem. Ex quo intelligimus, posse sine vllo peccato confessionem horum peccatorum venialium omitti, vel omnino, vel ex parte, pro arbitrio penitentis. Quod expresse etiam docuit Concilium Tridentinum dicens, esse vtile, & honestum hæc confiteri: posset tamen sine culpa omitti. Neque in hac generali doctrina traduntur aliquæ exceptiones.

Solum folet hic dubitari, an possit Ecclesia præcipere confessionem venialium. Nam aliqui Theologi simpliciter negant, vt Palud. d. 17. q. 2. art. 4. Syluester Confessio. 1. q. 13. late Sot. d. 18. p. 1. ar. 3. circa finem. Alij vero Theologi affirmant posse Ecclesiam imponere hanc obligationem confitendi venialia peccata. Ita sentit Alens. 4. p. q. 77. membr. 1. art. 1. & 2. & membr. 2. artic. 5. alias quæst. 18. membr. 4. p. 8. §. 5. D. Thom. etiam in 4. d. 5. art. 1. quæst. 3. videtur aperte supponere hoc esse in potestate Ecclesie, & Bonau. d. 17. art. 4. q. 1. Richard. art. 2. q. 4. ad 1. Sed inter hos auctores videtur esse nonnulla æquiuocatio, quia non distinguunt illos duos modos obligationis, quos in scilicet. præced. ultimo loco posui. Vnus dicit potest quoad specificationem actus, nimirum si confessio venialium exigatur, vt confessio integre & perfecte fiat, etiam si penitens habeat mortalia peccata, de quibus confiteri possit. Alius dicit potest quoad exercitium actus confitendi & suscipiendi sacramentum penitentiae, vt si Ecclesia præcipiat, vt omnes fideles tali die, vel tempore coniteantur, siue habeant mortalia peccata, siue venialia tantum.

Dico ergo primo: Ecclesiam non posse obligare fideles priori modo ad confitenda venialia peccata, sicut in simili diximus de mortalibus confessis. Hoc ad summum probant rationes Sorii. Præcipua est, quia Ecclesia non potest mutare materiam sacramenti: ergo nec facere materiam necessariam, quæ iuxta Christi institutionem necessaria non est. Sed inuari potest, quia ex alius materiis alias sufficientibus, potest Ecclesia vnam definire, & præscribere sub præcepto, vt in Ecclesia Latina determinauit consecrationem fieri in azymo, & non in fermentato. Respondetur esse dissimilem rationem, quia in presenti quadam materia est simpliciter necessaria de iure diuino, scilicet peccatum mortale non confessum: & ideo quando talis materia reperitur, non potest Ecclesia aliam addere, vt necessariam. Quod si aliquando ex præcepto Ecclesie aliquid adiungitur materię necessariæ, vt in consecratione calicis gutta aquæ additur vino, illud non est vt illa sit materia, vel pertineat ad integritatem eius; sed est aliqua sacra cæremonia propter aliquam significationem: quod in presenti locum non habet. Vnde etiam sumitur alia differentia, quod in aliis sacramentis illa materia determinatio solet fieri propter aliquam solennitatem, vel reuerentiam in publico vsu sacramenti, vel certe propter significationem: neutra autem ratio habet locum in confessione. Accedit, quod in hoc sacramento ex necessitate præcepti sequitur necessitas sacramenti, seclusa ignorantia, vt in superioribus dictum est, quod non sequitur in aliis: & ideo maiori ratione non debet Ecclesia præcipere aliquid vt

*D Thom.*

*Trident.*

*2  
An possit  
Ecclesia præ-  
cipere con-  
fessionem  
venialium.  
Negans  
Palud.  
Syluest.  
Soto.  
Affirmans  
Alens.  
D Thom.  
B. nou.  
Rich.*

*3  
Causa  
Infamia.*

*Infamia.*

*Solutio.*

*necess.*